

utrinque, propter idem objectum amabile colatur: sed plerumque, ἀνομοειδὴς
 & mixta sive diverse speciei, ita ut à parte unius colatur propter virtutem,
 ab altera propter commodum; qualis frequens est inter Praeceptorem &
 Discipulum: vel ab altera parte propter jucunditatem altera propter uti-
 litatem, qualis musica delectati & citharædi &c. Ideò ut duret, diversitas
 ista finium compensanda officiis & beneficiis servatâ analogiâ, & propor-
 tione Geometricâ, ut dignitate, opibus, beneficiis &c. majores, majori ho-
 nore, obsequio, aliisque officiis colantur &c.

57. Compensationis a. hujus æstimatio sit aut à conferente benefici-
 um si paciscatur cum eo cui beneficium confert: aut ab accipiente si pactum
 non intercedat, cui mensura debet esse indigentia, ut post acceptionem in
 retribuendo beneficium non æstimet minoris, quàm ubi eo adhuc indigebat:
 quò facit Protagoræ exemplum, quod hic 9. Nic. 1. citatur, qui, cum docu-
 isset, jubebat eum, qui didicisset, æstimare, quanto precio viderentur digna
 quæ sciret, & tantum accipiebat. Cum a. quedam sint, quæ nullâ mensurâ
 æstimari aut compensari possint, ut sapientiæ communicatio, cujus ἀξία
 πρὸς χεῖματᾶ & μετρεῖται, τιμῆ ἰσορροπὸς ἢ ἀνὸ ἄλλοιο, dignitas num-
 mo non mensuratur, eiq; honor æquivalens reddi non potest: in talibus ἴ-
 σως ἰκανὸν, κατὰ τὴν πρὸς θεὸν, & πρὸς γονεῖς τὸ ἐνδεχόμενον fortas-
 se satis est, ut erga Deum & parentes etiam, quod quisq; efficere potest.
 9. Nic. 1.

58. Deniq; attingenda est & hæc distinctio Amicitie, quod alia sit
 Φυσικὴ Naturalis, quæ vel συγγενικὴ, congenita, qualis inter patrem & fi-
 lium, fratrem & fratrem &c. vel cognatos & agnatos &c. vel γαμικὴ,
 inter Maritum & Uxorem, inter Affines &c. Alia ἑταίρικὴ socialis, quæ
 vel κοινωτικὴ commutativa, vel συμμαχικὴ, συσρατικὴ &c. 8. Nic.
 12. de quibus aliàs copiosius; ista nobis modo sufficiant.

Πείραγμα.

1. An Zigeni sive Zigari è Rep. benè constituta sint extirpandi?
2. An in civitate Judæi tolerandi?
3. Utrum fontes generentur ex vaporibus?
4. An ex siderum observatione certi quid pronunciare possint Astro-
 logi?
5. Cur tantopere rerum cognitione delectemur?
6. An felix indigeat amicis?
7. Utrum Electio magistratus per sortes approbetur in Republicâ?
8. An spurii in civitate ferendi?

Δόξα τῶ Θεῶ.